



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VI. Explicantur proprietates substantiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

nus disp. 9. Porphyrius, Boëtius quidam, & archytas apud simplicium in præfenti, necnon Vallius noster cap. 5. de substantia quæst. 2. adhuc rem magis premunt, restringuntque: sunt enim in ea sententia, ut existiment, substantiam corpoream corruptibilem duntaxat constituere hoc prædicamentum, corpora verò caelestia, tam ei non subiaci, quam non sunt corruptioni subiecta. Cæterum B. Thomas, Caietanus Soccinatus, Sorus, Alenlis, Durandus, Barlaeus, Henricus, Suarez, Fonseca, Toletus, Rubius, & plerique alij scholastici malunt substantiam, prout est superior corporea, & incorporea, corruptibili, & incorruptibili, esse prædicamentum substantiæ, cuiusque supremum genus.

31 Quantum ego sentio, totalis est de vocabulo, eaque parui momenti: potest autem ita disceptari. Prædicamentum aliud est physicum, aliud metaphysicum, uti supra tract. cap. 1. declaratum est. Prædicamentum priori modo sumptum plures condiciones admittere potest, eaque inter, ut quod in eo collocatur, sit quippiam completum, ut indicat ultima pars distichi loco nuper memorato positi: *finita realia tota*, ubi totalitas complementum denotat in eo, quod est in prædicamento, præsertim, si sit de substantiis sermo: deinde, ut quod in prædicamento eiusmodi constituitur, sit corporeum, & corruptioni obnoxium, quod tamen adeo certum, ac receptum non sit, uti primum illud; at est satis verisimile: hoc autem sensu evidens est, prædicamentum substantiæ, unde cætera novem accidentium velut rivuli à suo fonte dimanant, esse substantiam, non qualemcumque, sed completam, corpoream, & incorruptibilem, & in eo tantum indicari locari substantias incompletas cuiusmodi sunt, materia, forma, & unio, aut si mauis, partes integrantes. v. g. caput, cor, &c. necnon incorporeas, atque etiam corporeas, incorruptibiles caelestiales.

32 Prædicamentum priori modo usurpatum conditionibus multis adstringi renuit, ac potius ab eis libertatem amat; unde primum omnium est substantia, prout abstrahitur à completa, & incompleta, corporea, & incorporea, corruptibili, & corruptionis exparte quamobrem in eo directe locum habent substantiæ omnes, siue complementum habeant sibi debitum, siue sint eo destitutæ, & siue sint spiritus, siue corpora, ac denique, siue corruptionem admittant, siue sint corrupti necesse. Porro autem, quæ substantiæ non sunt directe in hoc prædicamento, de quo disputamus physice sumpto, nihilominus sunt in nullo indirecte, & reductivè, ut insinuat paulo antea: excipiendus tamen est ab hac regula Deus, quem supra tract. cap. 1. statuimus haud esse in prædicamento substantiæ physico, & ætiori eius intellectu: reicitur enim ab illo: non directe tantum, ut ibi positum, sed etiam reductivè: quoniam, ut arguunt Richardus de Media villa, & ex eo Rodensis; quod reducitur ad aliud est eo imperfectius: quo pacto dici solet de puncto, reduci ad quantitatem, cuius est initium, quoddam, quia eius molem, & perfectionem non attingit; & privationem ad prædicamentum formæ, qua priuat, eo quod eius perfectionem non includat, sed potius excludat: Deus autem infra nullius prædicamenti perfectionem est, et si quod non ingreditur, magis est propter excessum perfectionis, quam ob eius inopiam, ad nullum ergo reduci sustinet.

33 Hinc etiam solui facile est dubium quoddam de prima, & secunda substantia in hunc locum de industria remissum: etenim disquiri solet, num in substantiis incompletis locum habeat divisio substantiæ in primam, & secundam: Negant Socinas

7. metaph. q. 39. Ioannes à sancto Thoma 2. p. q. 15. art. 2. §. *nihilominus*, parum ab initio, & communiter alij Thomistæ: affirmat vero simpliciter cap. de substantia: distinguit autem Boëtius quidam apud simplicium loco iam citato, atque, materiam esse primam substantiam si sumatur in particulari, finem autem in communi; secundam: neutram verò locum habere in forma. Verius tamen est, si substantia divisa in primam, & secundam accipitur late, & cum abstractione à quavis, & cuiusvis conditionis, ita quidem substantiam incompletam, quæcumque sit: esse posse primam, & secundam, prout nimirum est universalis, aut singularis: cæterum, si dividatur strictius sumpta, & quatenus est prædicamentalis, cum solam substantiam esse posse primam, & secundam, quæ esse sustinet in prædicamento, & quatenus in eo esse sustinet: quare, cum omnis substantia siue incompleta siue completa esse queat in prædicamento metaphysico, omnem esse primam, & secundam quatenus hæ substantiæ metaphysice prædicamentalem diuidunt: contra verò, cum substantia incompleta esse non valeat in prædicamento physico, nullam id genus esse posse primam, & secundam, prout hæ substantiam physice prædicamentalem dispeſcunt.

CAPUT VI.

Explicantur proprietates substantiæ.

34 Non quidem omnes, id enim esset infiniti, & supervacui laboris, at eæ quas tradidit Aristoteles cap. 5. de prædicam. & quas ab eo traditas cæteri dialectici pleno, & unanimi recepere consensu. Prima ergo proprietas substantiæ est, non esse in subiecto id est ei non inherere: subiectum autem inhesionis adeo debitum esse substantiæ in communi, ut nulla prorsus esse in eo possit etiam divinitus; tueretur Baltazar Tellez disp. 53. metaph. sect. 2. num. 1. & apud eum, Suarez Conimbr. Fonseca, & Atriaga. Cæterum probabilius est cum Gabriele in canone sect. 44. §. ad argumenta, saltem de potentia Dei extraordinaria fieri posse, ut aliqua substantiæ inhereant, quin etiam modò ac iuxta naturalem, præsentemque rerum ordinem id evenire ostensum est superius cap. 1. huius tractatus.

35 Quocirca dicendum est proprietatem illam non esse substantiæ, ut sic, ac latissime fusa, sed solius substantiæ completæ, cuiusmodi est homo, equus, &c. nulla enim est eiusmodi quæ inhereat subiecto, aut possit. Quamvis autem ea proprietas conveniat omni substantiæ completæ, non tamen soli, adeoque est secundo modo eorum, quos enumeravit Porphyrius in quarto prædicabili: tum quia non competit ei quæ est incompleta, ut iam dictum: tum, quia relatio similitudinis v. g. Petri, & Pauli in ratione hominis est verum accidens prædicamentale, cum tamen non hæreat, aliàs esset inhesioni obnoxium fundamentum, necnon terminus, à quorum non distinguitur substantia: tum, quia non pauci admittunt, actionem creaturam modalem à voluntate Dei distinctam, atque etiam à termino, & huic adhaerentem, non verò inhaerentem, ne videlicet eo sit prior natura simulque posterior; prior, quia eius effectiva actio posterior ob dependentiam ab eo in genere causa materialis: tum denique, quia plures cum Durando in primum dist. 33 q. 1. volunt modos omnes accidentarios non inherere proprie loquendo proprie loquendo propter defectum distinctionis realis absolute

absolutæ, taneumque subiectis suis inniti. Porro quod hic loquatur Aristoteles de sola substantia completa, cum definit eam haud esse in subiecto, constat, quoniam agit in præfenti de substantia prædicamentali, quæ iuxta non paucos est dumtaxat completa, & quicquid de hoc sit, ea saltem potissime sumpta est completa, & non alia vlla.

36 Secunda proprietates substantiæ est, vniuocè prædicari de pluribus, Conimbricenses nostri, & alij quidam interpretes in commentatio capitis quinti de prædicam. putant, hanc proprietatem esse primo modo, & conuenire, si non omnibus substantiis prædicamentalibus, haud enim primis; at certe solis, eo quod accidentia nequeant vniuocè de multis prædicari: cuius hanc reddunt rationem. Vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio omnino eadem, non tantum in se, sed etiam respectu inferiorum; necesse ergo est ad vniuocam prædicationem, ut non tantum nomen inferioribus conueniat, sed etiam ratio ei subiecta cum illis identificetur; quo pacto se habet animal respectu hominis, & hic contemplatione Petri, & rationale intuitu vtriusque: par autem ratio est cuiusvis alterius generis, differentiæ, ac speciei: at, cum album, verbi gratia de cygno prædicatur, & niue, tamen si nomen sit vtrique commune, ratio tamen nominis, nimirum albedo, cum neutro identificatur; nequit ergo de eis vniuocè dici. Alij cum Soro eiusdem doctrinæ aliam reddunt rationem: censent enim accidens non esse simpliciter ens, sed secundum quid dumtaxat: quare, cum essentia sit abstractum entis, illud essentia propriè sumpta careat: ratio autem quæ in vniuocis dici solet eadem omnino, est essentia, ac definitio; vnde, inquirunt, accidens strictè loquendo destituitur ratione omnino eadem, ac proinde est vniuocationis incapax. Tertia eius sententiæ ratio esse potest talis: vniuoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio, seu quidditas omnino eadem: quamobrem opus est, ut quidditati prædicetur de pluribus, quod respectu eorum est vniuocum: accidens autem nequit prædicari quidditati de suis inferioribus, siue in quid, sed tantum in quale, ut ex eius definitione à Porphyrio tradita claret, non est ergo vniuocum, nec velut tale de multis dici sustinet.

37 Oppositum tamen verius est, quantum ego sentio. Ad primam rationem diuersæ sententiæ responderi potest; accidentia, quamuis in abstracto sumpta non identificentur cum subiectis suis; at in concreto usurpata identitatem cum eis habent; quam si opponas esse inadæquatam, nihil proderit: nam etiam animal, cum de homine, & equo vniuocè dicitur, tantum cum eis partialem habet identitatem, eo quod plura alia præter hominem complectatur. Quid? quod argumentum hoc non procedit in accidenti comparato, non cum subiectis suis sed cum aliis accidentibus inferioribus: coloratum enim non minus identificatur cum albo, & nigro, quam animal cum homine, & leone. Secunda ratio contraria, quam elumbis sit, constabit infra lib. 5. tract. 2. ibi enim, quod accidens sit simpliciter ens perinde, atque substantia satis, superque probauimus. Peccat etiam in eo prædicta ratio, quod iuxta illam accidens, non tantum vniuocè prædicari nequeat de multis, sed etiam, nec analogicè, quod videtur manifestè falsum, cum nihil possit de multis prædicari, & non aliquo trium illorum modorum. Tertia ratio contraria est magis verisimilis, sed penitus introspecta à vero comperietur errare, nam in primis conditio illa, quam exposcit ad vniuocationem, videlicet in quid seu quidditati prædicari, ex eius eruta de-

initione nihil fauet: quando namque dicitur, rationem, seu quidditatem vniuocorum esse omnino eandem, rectè quidem videtur colligi, rationem vniuocam eis esse quidditativam (quod enim est alicuius quidditas, ei est quidditativum) non tamen secundum se sumptis, sed prout subsunt nomini vniuoco, ac formam per illud expressam participant: ita verò accidens, v. g. album respectu niuis, & cygni est prædicatum essentiale & quidditativum, quatenus scilicet nomine albi significantur, albedinemque fortuntur, quamuis eis simpliciter, & secundum se sumptis, nili in quale, & accidentaliter non conueniat. Deinde ad summum ea ratio probat, accidens dici non posse vniuocè de pluribus, subiectis inhesionis, quod quidem fateor esse probabile, quamquam & contrarium etiam: ceterum non obstat, quominus genera, & species accidentium (quæ perfectio non sunt substantiæ) saltem de inferioribus accidentibus prædicentur vniuocè v. g. color de candore, & nigredine, & candor de hoc, & illo in particulari, ut omnibus est in confesso. Magis ergo est, ut proprietates illa sit substantiæ, non cuiusque, sed secundæ, non tamen primo modo, sed secundo; conuenit enim omni secundæ substantiæ, sed non soli, cum etiam accidentia dici possint vniuocè de pluribus, ut constitutum hætenus.

38 Tertia proprietates substantiæ, si sermo sit de prima, est significare hoc aliquid, siue hypostasim, aut personam, cuiusmodi sunt Petrus, v. g. ant Bucephalus; sin autem sermo sit de secunda, quale quid: non quod secunda substantia prædicetur instar alteri adiacentis; hoc enim est proprium solius differentiæ cuiusmodi est rationale, non generis videlicet animalis, quod nulli, dum prædicatur, adiacet, sed quod, ut explicant Conimbricenses loco supra memorato, substantiæ secundæ sint formæ essentielles suorum inferiorum, adeoque qualitates quidditatiuæ siue quidditates quales: qualitas enim nudè formam accidentariam significat, essentialem verò qualitas cum quidditate coniuncta. S. Thomas Capreolus, Caietanus, & eiusdem sectæ alij explicant aliter eam particulam *quale quid*, docentque, eam conuenire secundis substantiis, quoniam addunt supra naturam substantialem accidens quoddam intentionale, ac denominationem generis, speciei, alteriusve rationis. Verum ita etiam prima substantia, scilicet indiuiduum subiectibile, prout tale, adiicit intentionem quandam accidentariam, & denominationē subiectibilitatis supra substantialem naturam, erit ergo quale quid, non minus quam secunda substantia, quod tamē Aristoteli contrarium est. Cardinalis Toletus mauult, ob id secundas substantias dici quale quid, quia licet non insint vlli subiecto inhesionis, sunt tamen in subiecto prædicationis, eoque multiplici, & vario: vnde sunt quid, quia substantiæ, & quale, quia per subiectum prædicationis imitantur accidentia, quorum est proprium esse in subiecto inhesionis. Sed huius solutionis fundamentum supra demoliti sumus; standumque adeo primæ à nobis traditæ.

39 Quarta substantiæ proprietates est carere contrario. Putant multi authores inter quos Auerſa superius citatus omnibus substantiis conuenire hanc proprietatem, esto non solis, propterea quod quantitas careat contrario, ut constabit tract. 4. cap. 9. necnon etiā lux, & intellectus, si est potentia ab anima distincta, voluntasque similiter, atque memoria: rationem autem, cur omnibus, hanc tradunt: propria contrarietas est, quæ facit, ut aliqua se mutuo expellant ab eodem subiecto inhesionis: at forma ignis, & forma ligni, quamuis se expellant ab eodem subiecto, non tamen inhesionis

inhæfionis: haud enim formæ substantiales vlli subiecto inhaerent, vel possunt. Verum inhaerentia substantialium formarum, dempta anima rationali, est magis probabilis, vt cap. i. huiusmet tractatus ex professo probauimus, vtque exinde liquet, quod ita subiecta sua perficiant, afficiantque, vt sine iis naturaliter esse nequeant: nihil autem amplius habent accidentia, merito cuius inhaerant. Rursus; fac eas inhæfionis omnis esse incapaces; cur, oro, ad contrarietatem non sufficiat commune subiectum causalitatis materialis siue eductionis quauis hæc non dicatur inhæfio? quod, si sufficere concedatur, necesse quoque est formarum substantialium concedi contrarietatem. Quamobrem mihi magis placet, proprietatem illam esse substantiæ, non qualiscunque, sed completæ, eamque, non secundo modo, sed primo: tamen enim non sola substantia completa sit contrarietatis incapax, vt superiora exempla declarant, at eam omnis respuit, propterea quod nulla sit capax subiecti, cui inhaereat, à quoue educatur. Vbi est animaduertere, non mediocre quoddam discrimen substantiæ, & accidentis: nam substantia si sit completa, & perfecta nullam admittit cum alia contrarietatem: at accidens quauis complemento gaudeat, obnoxium est contrarietati cum alio; quod enim accidens magis perfectum, completumve, quam visio beatifica; cui tamen est contraria peccati actualis, habitualisve macula, seu proximè, seu certè mediante gratia, de quo in tempore.

40 Quinta substantiæ proprietas est, non suscipere magis, & minus; intellige, si eius rationem inferiora æquali immediatione participant: quo pacto Petrus v.g. non est magis homo, quam Paulus, nec Bucephalus magis equus, quam Alastor, cum tamen cygnus sit magis albus, quam paries: cuius discriminis ratio est, quod album gradus intentionis admittat, secus verò homo, equus, vllave substantia. Datâ quidem operâ adiecta est superius illa particula; si eius rationem inferiora æquali immediatione participant: namque corpus completum, est magis substantia, quam viuens: at genera hæc aliaque inferiora ita instituuntur, vt quoduis eorum sit similiter magis substantia, quam animal & hoc magis, quam species, v. g. homo. Insuper homo est magis animal, quam Petrus, & animal magis viuens, quam homo, vt supra declaratum. Totum tamen hoc idcirco sic vsuuenit, quoniam inferiora recensita haud sunt æquè immediata rationi communi, non verò, propterea quod huic vlla insit latitudo gradualis.

41 Sexta proprietas substantiæ est suscipere posse contraria, non quidem simul, sed ex intervallo, atque ita, vt ab vno ad aliud transmigret: qua ratione idem homo modò impalescit: modò est frigidus, modò calidus: nunc tristis, nunc hilaris: nunc pacatus, nunc verò torua tuens, spiransque oculis flammantibus iram. Aristotelica autem, & vera sententia est, huiusmodi proprietatem omni substantiæ creatæ, & soli, & semper conuenire, adeoque esse quarto modo. Obiciet tamen ex aduerso: eadem oratio, iam est vera, & postea falsa: eadem similiter actio humana, modò est bona, & deinde mala, mutata videlicet aliqua circumstantia: quantitas item, si sit à materia distincta, & accidentibus subiecta cæteris, quorum alterum, alterumque plures edocent, qualitates non paucas cum aliis contrariis commutat: haud est folius substantiæ suscipere contraria. Rursus opponet: actiones vti sunt singularium siue suppositorum, ita etiam passionibus: sed suscipere contraria est pati: ergo est duntaxat singularium; quare substantiæ vniuersales contraria non subibunt: Cæli quoque, tamen si su-

mantur in particulari, haud sunt corruptibiles; ergo nec sunt capaces contrariorum qualitarum quippe quæ ad corruptionem semper gradum faciunt, viamque communiunt: his igitur de causis proprietates supradictæ nequaquam conueniunt omnibus substantiis.

42 Respondebis tamen ad primum; suscipere contraria, velut subiectum vltimum, atque vt quod, esse proprietatem substantiæ quarto modo; at, nec orationem ita suscipere veritatem, & falsitatem, nec actionem vllam humanam, bonitatem, & malitiam, nec denique quantitatem (supposita eius à materia distinctione, qua sublata nullum esset argumentum) contrarias qualitates, sed quamlibet earum esse subiectum quo, & proximum, cui fulcimentum præstat aliud vltius, propterea radicale dici solitum, videlicet hypostasis, siue suppositum substantiale. Præterquam, quod veritas, & falsitas non respiciant velut subiectum intrinsecum, strictumve orationem, sed ei sint partim intrinsecæ, partim extrinsecæ, atque, tum in ipsa, tum etiam in obiecti ita se habentis, sicut representatur, entitate, sitæ; quando ergo Contraria sunt, quæ ab eodem subiecto propriè tali se se expellunt, nihil mirum, si oratio ex meritis earum denominationum nullam subeat rigorosam contrarietatem. par autem est ratio actionis humanæ intuitu bonitatis, & malitiæ.

43 Ad secundum respondebis, tum actiones, tum etiam passionibus conuenire naturis vniuersalibus, quamuis non in statu aliquo separationis à singularibus, & indiuiduis, vt Platoniorum aliqui ex sua magis, quam Platonis mente comminiscuntur, sed potius in statu realis identitatis cum illis: nec enim Petrus duntaxat, sed etiam homo calefit, in frigidatur, currit, loquitur, intelligit, &c. Atque, vt ex hoc postremo constet exemplo, quam manifesta sint cætera, & quam sit aperta sententia in cuius adducuntur probationem, id intelligit, quod est intellectuum suapte natura: atqui non solum Petrus, sed multò magis homo est intellectus, & rationalis. Quod autem dici consuevit, actiones, passionisque esse suppositorum, ac singularium, tantum arguit, vniuersalia nihil pati, aut agere separata à singularibus, nihil nisi prout eis realiter identificata: hoc autem verum est, iamque concessum, nobis tamen haud officit, vt dicta perpendenti clarebit. Non magis vrget, quod in eodem argumento secundo de cælis attingitur: sunt enim imprimis non pauci theologi, nec defunt astrologi, qui putent eos suscipere formaliter calorem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, atque ex eis prognatas secundarias qualitates: nec incommodum censent, si sint generationi & corruptioni obnoxii, non ex toto sed ex parte, atque ita vt damnum per alteram in latum compensetur per alteram, summaque constet, sartaque, vt aiunt, & recta semper remaneant. Deinde, tamen si contrarias qualitates alteratiuas non subeant: at certè contrarios impulsus & contrarias vbitates, cum non sint immoti, sed perpetuò conuertantur, & alia cum aliis

loca conuertunt: quod satis est, vt in eis proprietates substantiæ, qua de agimus locum habeant.